

**De catarrhi natura nec non aetiologia : dissertatio inauguralis pathologica  
... / auctor Aemilius Lindenheim.**

**Contributors**

Lindenheim, Emil.  
Friedrich-Wilhelms-Universität Berlin.  
Royal College of Surgeons of England

**Publication/Creation**

Berolini : Typ. Fratrum Schlesinger, 1843.

**Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/ajhm8px4>

**Provider**

Royal College of Surgeons

**License and attribution**

This material has been provided by This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

9

DE  
CATARRHI NATURA NEC NON  
AETIOLOGIA.

---

**DISSERTATIO**

INAUGURALIS PATHOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

IN

UNIVERSITATE LITERARIA

FRIDERICA GUILIELMA

UT SUMMI

**MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**

RITE SIBI CONCEDANTUR

DIE XIV. M. AUGUSTI A. MDCCCXLIII.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

AUCTOR

**AEMILIUS LINDENHEIM**

GUESTPHALUS.

---

OPPONENTIBUS:

J. KLEIN, med. et chir. Dr.

M. GUNDERSHEIM, med. et chir. Dr.

A. WEGENER, phil. Cand.

—•••—  
**BEROLINI,**  
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER





# CATALOGUE DE LA BIBLIOTHEQUE

## DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

DE LA SOCIETE DE LA BIBLIOTHEQUE

**VIRO**

**HONESTISSIMO, HUMANISSIMO**

**ADOLPHO LEVISON,**

**AVUNCULO OPTIMO, DILECTISSIMO**



H A S C E

**STUDIORUM PRIMITIAS**

PIO GRATISSIMOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

## PROOEMIUM.

**L**ecturis mirabile forsā videbitur, quod morbum, licet saepe descriptum, tamen nondum prorsus notum, paucis his pagellis tractare ausus sum; sed longe a me absuit, ut tanto labori satisfacere me dignum haberem. Nihil aliud volui, quam ut recentissimas et microscopicas et chemicas de morbi physiologia scrutationes pauculis his verbis compositas in publicum proponerem et de catarrhi etiologia nonnulla adderem.





**C**atarrhum nominamus omnium membranarum mucosarum morbum, quo nomine prius processum catarrhalem membranae organorum respiratoriorum mucosae solum notaverunt. Hunc morbum, cujusque membranae mucosae qualitate modificatum, in omnibus mucosis exsistere posse, Francogalli primi demonstraverunt, et novissimis temporibus celeberrimus noster Henle scrutationibus exactissimis et anatomicis et physiologicis, sententiam illam amplificatam rectissimam esse, confirmavit.

## ANATOMICA ET PHYSIOLOGICA.

Si catarrhum sedem solam in membranis mucosis habere dicimus, superfluum nihil contendimus, quum recentioribus adhuc temporibus ingens medicorum numerus exstiterit et exsistat, qui semper semperque de musculo-



rum, ossium etc. catarrho loquuntur. Pathologi vero satis monstraverunt, nihil aliud id esse nisi contradictionem in adjecto.

Mutationes, quibus in processu catarrhali membranae mucosae sunt subjectae, duplicis generis sunt, mutationes in structura, mutationes in functionibus.

### I. Mutationes in structura.

Invenimus auctum sanguinis affluxum, statum congestivum sic dictum, qua re sequitur:

- 1) Color mutatus. Color est lucidior, intensior, et quidem diversissimo modo mutatus, a claro illo colore scarlatinoso usque ad lividum illum austerum. Pendent hi gradus diversissimi a causis diversissimis, et quidem a morbi causa proxima, a qualitate membranae mucosae propria, a venarum vasorumque capillarium diametro, quae, ut Meckelius demonstravit, varia in variis est membranis mucosis, pendet ab aegroti individualitate et sanguinis qualitate, denique ab affectionis catarrhalis intensitate ipsa. Diu hunc colorem mutatum rubrum phlogisticum esse



putaverunt, quamquam non alius, nisi congestivus; qua re factum est, ut in dissectis cadaveribus, si membranae mucosae densiorem ostentarent colorem, inflammationem semper affuisse doceretur. Totum Broussaei systema, qui colorem hunc congestivum inflammationem semper esse docuit, causa fuit, ut morbus noster tam diu false declararetur. Differunt vero his rebus congestio et inflammatio: 1) Si tantum in circulationis sanguinis mechanismum respiciamus, differentiam maximam inter utrumque morbum invenimus. Dum in phlogosi vasa non solum sunt completa, sed etiam nova formantur singulis corpusculis sanguineis, in congestione nihil videmus nisi majorem sanguinis affluxum, id quod in catarrho esse diximus. 2) In secundo inflammationis stadio insignis sanguinis stasis, catarrho prorsus aliena. Itaque si in cadavere color ruber sub digito evanescit, non alius quam congestivus, si non evanescit, inflammatorius. 3) Inflammationi denique illa sanguinis diffusio propria, qua fibrina a ceteris sanguinis substantiis disjungitur, signum est peculiare, quod catarrho omnino deest. Quamquam vero utriusque morbi characterem anatomicum diversissimum esse vidimus, con-



cedendum tamen est, difficillimum saepissime esse, catarrhum ab inflammatione distinguere, quia catarrhus facillime in inflammationem progredi potest.

2) **Volumen auctum.** Membrana non condensatur, sed intumescit, cujus rei argumentum in affectione catarrhali conjunctivae oculi, in tonsillis etc. invenimus. Quum vero membranae mucosae semper corporis canales vestiant,

3) **Canalium illorum coarctatio semper sequitur;** dependet vero coarctatio a partibus canali vicinis. Quo firmiores partes vicinae, eo major coarctatio, ut in canali lacrymali; quo minor parietum resistentia, ut in intestinis, eo minor coarctatio.

Si catarrhus fit chronicus, sensim sensimque propter pedimenta saepius superanda in permeandis substantiis multiplicatio canalium oritur, quod in intestinis, saepius et in ureteribus perspicere possumus.

**Singulae membranae mucosae partes  
mutatae.**

Cryptae et folliculi mucosi circuitu crescunt, saepe



quadruplicem prioris magnitudinis ambitum assequuntur, ita ut statu normali microscopii tantum auxilio conspecti, nunc inermibus oculis evidentissime cerni possint. In folliculis tonsillarum mucosis perspicue hoc videmus, et in vagina glandulae mucosae amplificatae, arenae granis similes, tactu explorantur. Num fortasse structura glandularum mutata sit, nunc quidem dicere non possumus.

## II. Mutationes in functionibus.

Functio praecipue mutata est quod attinet secretionem. Secretum diversum est secundum stadia, quae morbus decurrit. Pathologia pristina duo stadia nominavit, stadium cruditatis et stadium coctionis. Discernenda porro est in secreto mutato decompositio ejus mechanica et chemica. Priusquam vero de secreto quod compositionem attinet mechanicam mutato disseramus, de normali ejus qualitate pauca facere verba liceat.

Mucus normalis compositus est ex liquore quodam pellucido, glutinoso, vi filorum trahendorum instructo, quem chemici nominaverunt Mucinum, quod juvante natro caustico in distincta quadam aquae quantitate suspensum est, admixtis cellulis epithelealibus diversis secundum



membranam mucosum, quae mucum secrevit. Novimus  
 im auctore Henle tria cellularum epithelealium genera:  
 epithelium compressum, cylindricum et fimbriatum. Si  
 itur secretum per complures canales, quorum cuique  
 id est epithelium, progressum est, hae diversae cellulae  
 epitheleales juxta positae in muco inveniuntur. Simul  
 am his cellulis epithelealibus in muco normali cellulae  
 mucosae, corpuscula mucosa existunt.

Si vero catarrhus in membrana aliqua mucosa se ex-  
 icavit, res jam in primo stadio aliter se habet. Secreti  
 ultitudo est adaucta, praecipue ejus aqua, dum cellulae  
 epitheleales sunt diminutae. Mucus igitur est liquidus,  
 quosus, ut in narium catarrho optime perspicere possu-  
 mus. In stadio secundo (stadio coctionis) contrarie se  
 habet mucus. Hic aqua et mucinum imminuuntur, cellu-  
 ae epitheleales augentur. At non solum cellulae integrae  
 inveniuntur, sed in omnibus formationis gradibus, a nucleo  
 cellulae simplici usque ad cellulam maturam, quibus rebus  
 secretum fit crassius, glutinosius, densius. Tunc mucus  
 nominatur purulentus, coctus. Haec mutatio igitur diffe-  
 rentiae physicalis caussa. Juxta haec muci elementa  
 normalia alia etiam conspiciuntur abnormia, quorum sae-  
 pissime sanguis nominatur, qui plerumque vasis capillari-



bus ruptis secundo morbi stadio cum muco miscetur, nec solo colore mutato, sed etiam scrutatione microscopica cognosci potest. Praeter sanguinem, et substantiae aliae forte admixtae inveniuntur secundum vias, per quas secretum ad lucem propellebatur; sic in catarrho coli vel recti materia faecalis etc.

### III. Mutatio muci quod compositionem attinet chemicam.

In statu normali mucus nec chartam caeruleam rube-  
facit, nec chartam rubram facit caeruleam, quia natri  
caustici multitudo tam parva (1%), ut ad solvendum  
mucinum sufficiat. Primo catarrhi stadio saepissime na-  
tron causticum augetur, cujus rei argumentum est, quum  
charta rubra caerulea fiat, ac praeterea mucus hoc modo  
mutatus organa vicina corrodere possit. Videmus hanc  
qualitatem corrosivam in catarrho nasali, ubi quamquam  
epidermis labium superius vestit, hoc epithelium corroditur;  
eandemque rem in catarrho conjunctivae oculi, in quo  
lacrimae, quae etiam chartam rubram faciunt caeruleam,  
palpebras corrodunt. In catarrhis organorum chylopoëti-  
corum, et quidem in intestinorum tenuium parte superiori,  
contrarie se habet res formato acido, quod nihil aliud  
quam auctum acidum muriaticum ventriculi esse videtur.



Id et huic acido superfluo tanta inest vis corrosiva, ut  
 ad raro non solum membrana ventriculi mucosa, sed  
 et tela ejus musculosa et serosa perforetur, quod in  
 tantum intestinis tenuibus videmus.

Si vero natro caustico superfluo mucus qualitatem  
 met, quam supra diximus eum habere in primo stadio,  
 secundo iterum fit, ut nec chartam caeruleam rubefaciat,  
 sed chartam rubram faciat caeruleam, cujus rei causam  
 accuratam adhuc nescimus. Contenderunt alii formato  
 hoc fieri carbonico; alii, ut Berzelius, interposito  
 aëre atmosphaerico, sed nihil certum. Scimus hunc mu-  
 cosum neutralisatum solvere non posse mucinum amorphum,  
 sed praecipitatum condensat secretum.

Priusquam proprium catarrhi focum omittamus, restat,  
 contemplerur, quas partes nervi peripherici in morbo  
 natro agant. Partes eas essentielles agere videmus,  
 sed organum quodque catarrho affectum propria sua vi  
 secretum profusum eliminare conatur. Varia sunt haec  
 amina secundum varias membranas mucosas, quae  
 catarrho sunt affectae. Sic videmus in catarrho nasali  
 rinorrhoeam, in organorum respiratoriorum catarrho  
 tussim, in ventriculi affectione nauseam et vomitum, ubi  
 vesica urinaria ex catarrho laborat, frequentem urinae



faciendae conatum. Si etiam haec omnia prorsus morbosa, tamen quod attinet morbum ipsum sunt activa.

Quomodo nunc se habeant nervi, qui ad organa catarrho affecta eunt? Usque adhuc nescimus, quo modo finiantur membranarum mucosarum nervi, quum valde incertum sit, quod Marshall Hall contendit, se expandere eos in membranam planitie formae. Accipiunt membranae mucosae nervos aut ex systemate ganglioso, quod frequentissimum, aut ex systemate cerebro-spinali, unde magna in effectu fit differentia. Si nervos ex systemate cerebro-spinali accipiunt, nervi sensibilitatem et quidem specificam suam praecipue perdunt; si accipiunt ex systemate ganglioso, sensibilitas augetur, quum illa in statu normali minima. Eadem igitur affectio morbosa alteros nervos hebetat, alteros reddit sensibiliores.

Addendum nobis est, irritationem illam saepe ad nervorum centra perducere, quae res gravissima pro morbi exitu et prognosi. Quum non semper eo perducatur irritatio illa, maximi pretii quaestio est, quibus causis efficiatur perductio illa ad centra. Hoc constat, altera parte nervi denudentur necesse esse, quod fit epithelio detruso, altero incitamentum quoddam chemicum vel mechanicum. Si incitamentum illud chemicum est, mirabile, quod alkal



n hebetat, sed acidum quoddam. Ubi acidum secretum epithelium detrusit, utrumque ad perducendam irritationem momentum est datum, quod exempli causa videmus in diarrhoea lactantium, in qua muscoli (risus Sardonicus, convulsiones eclampsiae similes) perductam irritationem monstrant. Sed etiam mechanico incitamento idem fieri videmus ab helminthibus. Hic detruso membranae mucosae emollitae epithelio diversissima symptomata oriri possunt, exacerbata usque ad statum illum infelicem soporosis, effecta omnia tantum helminthibus. Mirabile semper est, quod, si ingressa est irritatio in nervorum centra, symptomata reflexa diutius apparent, quam morbus ipse, nec semper dicere possumus: „cessante causa, cessat effectus.“ Novimus etiam alia symptomata nervosa, et videmus ea, quae irritatione breviter durante sequitur paralysis, qua re morbi exitus haud raro fit letalis. Paralysis consequitur maxime in hominibus senibus, decrepitis, qui affecti sunt catarrho organorum respiratoriorum chronico, quo reactio diminuta asthma humidum sic dictum efficit. Eandem videmus in diarrhoea, eandem in catarrho vesicae paralysin insequi irritationem.

Praeter haec symptomata localia catarrhus etiam systema vasculosum offendere potest. Veteres auctores



hujus rei caussa catarrhos diviserunt in catarrhos cum febris et sine febris, quod non valde vituperandum, nec magnopere laudandum, quum in decursu morbi catarrhus sine febris fieri possit catarrhus febrilis et vice versa. Conditiones, sub quibus febris ingreditur, dependent: 1) a dignitate organi catarrho affecti. Sic in organorum respiratoriorum catarrho plerumque febris adest, in genitalium catarrho plerumque febris desideratur. 2) Ab extensione morbi. 3) A morbi orti celeritate et una a caussae externae intensitate. 4) Denique ab individualitate, ab irritatione cutis.

Gravioris momenti vero sunt typi characterisque febris caussae. Typus remittens esse solet, et quidem talis, ut exacerbatio vespere, remissio tempore matutino fiat. Nomina-verunt igitur veteres nonnulli pathologi formas catarrhi quasdam praecipue febres remittentes, qualis fuit febris gastrica. Quod ad febris characterem spectat, medici valde erraverunt, quod febrem catarrhalem aequalem esse contenderunt febris erethicae, quum ut in omnibus febribus character triplex esse possit. Febres plurimae catarrhales sane characterem habent erethicum, sed declinantur etiam ad torporem et synocham.

Imprimis vim habet ad febris characterem systema



membranae mucosae organicum, ubi sedet catarrhus, et sic verisimiliter ratio systematis venosi et arteriosi vasorumque capillarium. Sic videmus in organorum respiratorum catarrho, quorum in membrana mucosa venosi et arteriosi systematis ratio est eadem, febris characterem erethicum; sed in intestinorum catarrho, in quibus systema venosum praevalet, febrem saepius esse torpidam. Porro non solum individualitas, aetas etc., sed etiam genius epidemicus et endemicus vim habent ad febrem definiendam. Genio epidemio sthenico febris catarrhalis est synochalis, et vice versa, genio epidemio vel endemio nervoso, in terris ab intermittentibus et typhis offensis, febris character torpidus erit. Sed diversissimis rebus febris character transire potest ab uno ad alterum.

## AETIOLOGIA.

Oritur catarrhus et genesi spontanea et contagio.

Quum genesis spontanea saepissime morbi causa sit et contagio semper antecedit, prius de hac disseramus.

### A. Genesis spontanea.

Distingui debent:

1) Causae praedisponentes internae



2) Causae praedisponentes externae.

3) Causae illas conciliantes.

1) Causae praedisponentes internae.

Omnia temporum experientia haec docet: a) Omnes membranas mucosas a catarrho offendi posse, quia sunt membranae mucosae, sed maximam existere differentiam inter singulas membranarum series. Primum apud nos locum capiunt organorum respiratoriorum membranae mucosae, jam minus dispositae sunt chylopoëticae (in terris meridianis res aliter se habet), sequuntur membranae mucosae genitalium, quamquam sexus in his magnum facit discrimen, quum in sexu femineo catarrhus multo frequentius inveniatur quam in viris. Minime dispositae sunt membranae mucosae systematis uropoëtici. b) Membranae mucosae ad idem systema pertinentes iterum magnopere inter se differunt, quod spectat ad praedispositionem. Sic systematis chylopoëtici pars superior, fauces saepissime offenduntur a catarrho, oesophagus vero rarissime; pars sequens ventriculus et intestina tenuia iterum saepe afficiuntur, dum colon et rectum rarius. Haec differentia et systematum et partium singularum membranae mucosae praecipue, quamvis non unico, pendet ex viribus ex-



ernis, quibus sunt expositae. c) Praeterea haec dispositio jungenda est cum evolutione et permanente et cyclica organorum eorum, ad quae pertinet membrana mucosa, sic ut evolutione summa dispositio sit summa.

Exemplo sit membrana mucosa genitalium femineorum, quae usque ad evolutionem haud raro a catarrho orripitur; haec dispositio vero circa pubertatis tempus augetur usque ad involutionem; quo tempore iterum minuitur. Alterum exemplum in femina attinet ad evolutionem cyclicam, quae est quoque die vicesimo octavo, circa quod tempus dispositio summa. Idem valet de organis respiratoriis. Quali modo organa respiratoria circa annum undecimum ad duodecimum perpetuo evolvuntur, post quod tempus dispositio major: tali videmus haec hieme correpta, qua evolutio cyclica summa, dum aestate, systema chylopoëtici evolutione summa, hoc idem saepissime catarrho est expositum; quae praedispositio gravissimi est momenti ad cognoscendum genii epidemii annui characterem. Primo vere fauces afficiuntur, aestate oriuntur febres illae gastricae, aestate praecipite catarrhus coli, autumno diarrhoeae, et mense Novembri Decembrique iterum angina et catarrhus organorum respiratoriorum adsunt. Magnam recidendi vim habet morbus catarrhalis, quippe



saepe in hominibus iisdem est obvius ac malum fit habituale, ut caussae minimi momenti externae statim affectionem revocent. e) Addenda denique est propria cutis qualitas. Homines cute tenerrima, subtilissima, cujus secretio facillime aucta, maxima dispositione catarrhali sunt praediti, quod non mirandum, si connexum illum respexeris, quem cutis habet cum membranis mucosis, ut Bichat, cutem internam nihil nisi cutem externam replicatam esse, dicere ausus sit.

## 2. Caussae praedisponentes externae.

Omnia in his numeranda sunt, quae in membranis mucosis irritationem efficere possint, sed tantam non habent vim, ut inflammationem producant. His attribuenda est propria aëris atmosphaerici qualitas, quae jam dudum medicis catarrhum efficiens nota erat. Itaque ab nonnullis constitutio catarrhalis proposita est. Falsum vero est, catarrhum hoc sensu in aëre suspensum esse, et delabi in hunc hominem vel illum. Quaestioni igitur respondendum est, qualis sit aër atmosphaericus, ut catarrhos provocet.

Praecipue nominanda sunt celerrimae coeli moderationes et temperationes, ita ut aër atmosphaericus paucis jam horis mutetur circa  $10^{\circ} - 12^{\circ}$  R.; praeterea qualitas



jus hygroscopica. Membranae mucosae, imprimis hygroscopicae, quum ipsae aquam secernant, aquae bonitas aëris atmosphaerici mutata, praecipue si ille jam saturatus est, membranarum mucosarum secretionem impedit, itaque eas offendet. Multis locis propria terrae constitutione affectiones catarrhales maximo circuitu diffusae sunt. In Helvetiae lacus accolentibus, qui lacus altissimis circumdati sunt montibus, ubi ventus paucis horis ita mutatur, ut hydrargyrum in thermometro circa  $8^{\circ}$  —  $10^{\circ}$  R. descendat, quartam ad quintam populi partem catarrho peti videmus.

His potentiis noxiis externis addenda est series virium externarum, quae quidem ab organismo oriundae, tamen in organismo retentae pathice incitant membranas mucosae. Sic concretiones in pelvi renali catarrhum renalem, in vesica catarrhum vesicae provocant. Morbus quoque ipse, organismo inhaerens, qui secretum suum proprium per membranas mucosas secernit, tantum incitamentum esse potest, ut catarrhus efficiatur. Quas catarrhi formas nominaverunt catarrhos específicos vel catarrhos combinationes. Talium combinationum novimus varias, ut exempli gratia, cum rheumatismo, scrofulosi, arthritide, syphilide. In his catarrhis específicos differentia est quod attinet ori-



ginem, sic ut combinatio aut sit primaria aut secundaria.

### 3. Causae conciliantes.

Talibus rebus, quas causas catarrhi et internas et externas nominavimus, minimo insultu opus est, ut morbus in membranam quandam mucosam transferatur. Cujusmodi momenta conciliantia aut incitamentum directum aut indirectum efficiunt membranae mucosae. In organis respiratoriis aër est atmosphaericus, qui mechanicis mixtus rebus, catarrhum gignere potest, sed et hae res ipsae praeter alias morbum nostrum facere possunt, quod videmus in operis nicotianis, qui tabaci sternutatorii pulverem ducentes, catarrho organorum respiratoriorum afficiuntur. Eadem in pistoribus, furnariis, quadratariis, eadem lini et cannabio decorticandae tempore in Rheno superiore observamus. Alia momenta conciliantia in alias habent vim membranas mucosas, ut cibi et potus in canalem intestinalem, qui membranam mucosam incitantes, choleram, catarrhum intestinalem, febrem gastricam cet. producunt.

Ceterum haec momenta non catarrhi genus, sed ejus formam et speciem statuunt.



### B. Genesis per seminium.

Contagium in catarrho formari posse jam theoria ipsa demonstrat, quum omnes adsint conditiones, quas ad oriundum contagium necessarias habemus. Omnes morbi, qui epidemiis se diffundunt, contagium formare solent. Catarrhus vero morbus epidemicus est, et proprium secretum eliminari scimus, quod facillime cum aëre atmosphaerico misceri possit. Theoria igitur catarrhum producere posse seminium demonstrat, et experientia dubitationes omnes tollit. Jam dudum in animalibus novimus catarrhum proprium, malleum humidum, qui sine ullo dubio in homines transferri potest. Nosologia geographica gravissimum aliud exemplum nos docet, qui est catarrhus insulae Sanctae Kildae. Est enim insula quaedam Hebridum, cujus incolae semper catarrho nasali afficiuntur, si homines alieni vivendi causa veniunt. Nil mirabile, si respicimus, quam longe exhalationes in frigore versus solem appareant. Firmissimae de contagio observationes in illis catarrhi formis sunt factae, quae summum adeptae sunt gradum, de exanthematibus dico catarrhalibus, qui apud nos sunt morbilli: quum Hume experimentis certissimis, inoculatione morbillos transferri posse demonstraverit. Exanthemata



illa non solum in cute externa inveniuntur, sed etiam in membrana mucosa, ubi enanthemata nominantur. Si exanthemata sunt orta, contagium fortius.

---

Plerumque catarrhus apparet in epidemiis, isque gravissimum in constitutione nostra annua format momentum. Siccum anni tempus a catarrho fere liberum est (in terris meridianis), dum plurimi tempore hiemali apparent, i. e. tempore pluviali; dum apud nos organorum respiratoriorum catarrhi hieme existunt, in tropis catarrhi adsunt intestinales iique vehementissimi, ut cholera, febris gastrico-biliosa. Omnino vero catarrhus saepe sporadice apparet.

Genitus sit catarrhus hoc vel illo modo, diffusus super omnes membranas mucosas, catarrhus universalis rarissime invenitur. Plerumque adhuc hic casus in influenza obvius est, ubi haud raro membrana mucosa genitalium femineorum in morbum inducitur. Sed et hoc numero rarum, plerumque affectum est unum systema organicum, et in hoc ipso iterum peculiariora sunt puncta, quibus catarrhus imprimis insidet. Haec diffusio e puncto uno egrediens mirabilis, quod partes quasdam transit, et partes remotio-



es ejusdem systematis occupat, ut lex illa continuitatis, nae in universum in catarrhi diffusionem exstat, hic interruptur. Sic catarrhum organorum respiratoriorum primo a membrana mucosa narium se formare videmus, initio aepe loco valde circumscripto, anteriorem tantum narium partem occupantem; deinde eum videmus narium antra perficientem, sinus maxillares, frontales, tubam Eustachii et., dum in choanas ingressus sine angina catarrhali, catarrhus laryngeus et postremo catarrhus pulmonalis producitur.





## V I T A.

---

Natus sum ego Aemilius Lindenheim Mindenæ in Guestphalia, d. XXVII mens. August. a. MDCCCXIX, patre Michaele, quem jam dudum morte mihi ereptum lugeo, matre Conradina e gente Herz, quam vivam adhuc pio gratissimoque animo veneror. Fidei addictus sum Mosaicæ. Primis literis imbutus, Gymnasium adii Mindense, quod adhuc Directore Ill. Emanuel floret, idque per annos octo frequentavi. Tum Gymnasium primarium Brunsvigense per annos duos et dimidium frequentavi, quod Ill. Krueger Directore et Professore floret, et postremo in Gymnasium Mindense reverti. Examine maturitatis absoluto, m. Octbr. a. MCCCXXXIX aliam petii Fridericam Guilelmam Rhenanam, ibique Rectore magnifico Ill. Goldfuss in civium academicorum nume-



um receptus, a Decano spectabili Ill. Kilian in facultas medicae album inscriptus sum. Quas hic per annum dii scholas, hae sunt: Ill. Pluecker de physice; Ill. Joeggerath de mineralogia; Ill. Goldfuss de zoologia; Ill. Treviranus de botanice; Ill. Bischof de chemia tam anorganica quam organica; Ill. Naumann de encyclopaedia et methodologia medicinae; Ill. Mayer et Ill. Weber de anatomica generali et speciali.

Anno praeterlapso in almam hanc me contuli Fridericam Guilelmam, ubi a Rectore magnifico Ill. Lichtenstein civibus academicis adscriptus, a Decano spectatissimo Beat. Osann in album medicum relatus sum. Per quatuor semestria frequentavi scholas hasce: Ill. Mueller de anatomia generali et speciali, nec non de physiologia, quo et Ill. Schlemm ducibus me exercui in cadaveribus rite dissecandis; Cel. Beneke de logice et psychologia; Ill. Juengken de chirurgia; Cel. Mitscherlich de materia medica; Ill. Schoenlein de pathologia et therapia; Cel. Romberg de clinice propaedeutica et diagnostice. Tempore autumnali a. MDCCCXLII almam




petii universitatem literariam Halensem, ubi a Prorectore Ill. Bernhardi in civium academicorum numerum receptus, a Decano Ill. D'Alton in facultatis medicae album inscriptus sum. Hisce per semestre lectionibus interfui: Ill. Blasius de operationibus ophthalmicis, nec non de ossibus fractis et luxatis; Ill. Friedlaender de historia medicinae. Praeterea frequentavi scholas clinicas Ill. Krukenberg et Ill. Blasius.

Tempore paschali hujus anni iterum petii hanc almam Fridericam Guilelmam Berolinensem, ubi a Rectore magnifico Ill. a Raumer civibus academicis adscriptus, a Decano maxime spectabili Ill. Mueller in album medicum sum relatus. Disserentes audivi: Ill. Mueller de anatomia pathologica; Ill. Hecker de historia medicinae; Cel. Kluge de arte obstetricia tam theoretica quam practica. Praeterea adii scholas clinicas per duo semestria Ill. Schoenlein nec non Ill. Juengken, et scholam obstetriciam Cel. Kluge.

Quibus ego viris omnibus, summo opere de me meritis, gratias quam maximas ago semperque habebo.



Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam medico, nec non examine riguroso rite absolutis, spero fore, et dissertatione thesibusque publice defensis, summi in medicina et chirurgiæ honores in me conferantur.






## **T H E S E S.**

---

1. Paedagogia nostra multorum malorum caussa.
2. Vim medicatricem naturae esse nego.
3. Qui stethoscopio uti nescit, typhum curare non potest.
4. Omne vivum ex ovo.









NARROW GUTTERS

(1-2 CHARACTERS

LOST ON

SEVERAL PAGES)



